



EXAMEN VERNVM

INDICIT

M. FRID. CHRIST. BAVMEISTERVS, R.



GORLICII, clclcccLXXVI.

EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.

UNIVERSITÄT
DRESDEN
LIBRARIAT

SENATVI AMPLISSIMO diligentiae fideique, in munere praestitae, rationem reddituri, examen, more maiorum, instituemus, ut, quas discendi progressiones fecerint alumni, intelligatur. Mecum operas partietur Cl. Gymnasii Rector, Collega coniunctissimus, NEVMANNVS, qui quae tradidit ex Xenophonte, repetendo examinandoque excutiet. Rogo Patronos maiorem in modum, ut audiendi benevolentia conatus nostros perbenigne sublevent. Sub lustrationis finem,

IO. CHRISTIANVS STEPHANI, Langenav. Luf,

nuper stipendio ZACHERIANO ornatus, memoriam B. Zacherii oratione latina renouabit, Gymnasio uale dicturus.
Gorlicii, clolcccLXXVI, d, xxviii, Mart.

ARDE-



ARDELIONVM NATIO

Phaedrus. Fab. V. L. II.

Est ardelionum quaedam Romae natio,
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta, & aliis odiosissima.



Ibam forte, (meus sic mos est,) laetior ibam
Nuper per campos ambiguasque vias.
Deque via fessus frondente sub arbore sedi,
Atque alia ex aliis cogito mente sedens.

Ruris amoenus ager, picti viridantia campi,
Rustica sedulitas lanigerique greges,

) 2

Hor-



Hortorum varium decus, ornatusque theatri,
 Quo natura manu divite pandit opes,
 Pluraque, quam possunt memorari, plura videndo
 Membra refecerunt lassâ labore gravi.

Iamque reversuro propius mihi rusticus adstat,
 Siue erat opilio, siue bubulcus erat.
 Certe erat ardelio. Quid enim? Medicaminis usum
 Adferre aegrotis ars mea novit, ait
 Squallidus, horribili facie, incomtoque capillo,
 Sordibus atque situ foedus olensque senex.
 Hic ubi me iussit salvere, audentior inquit:
 Quis tua, quis languor membra pedesque tenet?
 Cur palles fessusque sedes? Cur anhelitus aeger
 Exit ab ore tuo? Non, mihi crede, vales.
 Belle, inquam, valeo. Tua cures, rustice! mitte,
 Quae non sunt artis muneris atque tui.
 Aegrotas, pergit, (quid enim inficiabere?) Dextram
 Do medicam morbos pellere doctus ego.
 Febris membra quatit? Febrim levo, mitigo, tollo
 Tam cito, quam vulpes devorat ore pyrum.
 Pestis, hydrops, tabes, scabies, nodosa podagra,
 Ulcera pulmonum sunt mihi, crede, iocus.
 Ohe! iam fatis est, iam desine, desine, monstrum,
 Inquam, deliras inverecunde senex.
 Mox tentaturus salientem pollice venam,
 Accessit propius. Sed peto rura fuga.

Sic me servavit Genius meus, aethere missus
 Haesit qui lateri duxque comesque meo.

Obstu-

❧ ❧ ❧

v

Obstupui, viso Genio, Geniique venusto
 Vultu, qui rutilans fulgidiorque fuit.
 Gratia quanta fuit frontis cum lacte genarum!
 Sanguis erat mixtus purpureusque color.
 Leniter arridens, una it, dextramque prehendit,
 Pectoraque alloquiis irrequieta levat.
 Quid miraris? ait, cur bilem movit & iram
 Ardelionis opus, stultitiaeque furor?
 Num, qua terra patet, si perreptaueris orbem,
 Num vacuas gentes ardelione putas?
 Nullas inuenies urbes, Museaque pauca,
 Paucas, quae careant ardelione, casas.
 Aula suos, quamuis splendens, alit ardeliones,
 Castra forumque suos, templa scholaeque suos.
 Vt lolium infelix cito serpit, robore sumto,
 Vt torrens auctis multiplicatur aquis,
 Sic volat immensum male sedula turba per orbem,
 Et late variis itque reditque locis.

En! tibi Gnathonem, parasitum, dedecus urbis,
 Qui nil nec fidei, nec rationis habet.
 Curstat huc illuc, simulatque negotia magna,
 Et, dum multa facit, re facit ille nihil.
 Sed quid agit? Muscas venatur, sputaque lambit,
 Vilia fervorum munia servus obit.
 Odit agenda domi vecors, alienaque curat,
 Quae facienda, fugit, quae fugienda, facit.
 Assentator iners reptando captat ofellam,
 Sentit odoratu, si qua culina calet.
 Dicta sui Domini miratur ineptus inepta,
 Quae probat ille, probat, si negat ille, negat.



Dic mihi, dic, Gnatho, dic abiectissime Gnatho,
 Quod tibi debetur nomen? Es ardelio.

En! tibi Crispinum, sutorem. Calceus ipsi
 Sordet, & abiicitur pix piceusque labor.
 Namque ultra crepidam sapit. Acta forensia tractat,
 Et tangit docta pro pice scripta manu.
 Caussidicus mavult, quam sutor plebsque videri,
 Liticulasque ferit, liticulasque fovet.
 Promptus, inexpertis patronam vendere linguam,
 Rem facere ut possit, re pereunte rei.
 Sed fit ludibrium doctis legumque peritis,
 Expellit monstrum hoc aede foroque Themis.
 Irrisus quid agit Crispinus? carpit & odit
 Iudicis officium iustitiamque fori.
 Acta magistratus reprobat, linguaque procaci
 Sacra tribunalis censor ineptus adit.
 Optat remigium, fasces pueriliter optat,
 Pro lubitu ut clavum temperet arte sua.
 Dic, Crispine, mihi, veteramentarie dicas,
 Quod tibi debetur nomen? Es ardelio.

En! tibi Stilphonem, qui caupo fecerat olim
 Sat turpem quaestum fordidiore modo,
 Qui propinauit tunicato vina popello,
 Subdolus & mixtas suppeditavit aquas.
 Iam bona decoxit. Desperabundus, agenda
 Quae nunc sint, reputat. Corrigit ille scholas.
 Coetum, (quid rides?) cogit, puerosque docere
 Artes, quas nescit, litterulasque parat.

Agmine



Agmine concurrunt facto pueri atque puellae,
Mirantur dotes ingeniumque viri.
Ipse pater pueri, puero puerilior, audit
Doctorem attonitus cumque stupore novum.
Accipit & reddit ventosis follibus auras
Stilpho, qui fastu turgidus alta sapit.
Repere visus humi, mox sese attolit in auras,
Esse reformator gaudet amatque scholae.
Caupo reformator? quidni? dat anicula quaevis
Consilium morbis vulneribusque scholae.
Diruit, immutat, veterum sancita refingit
Ridiculus Stilpho, substituitque nova.
Quae nova? quae multo sunt deteriora vetustis,
Quae noua? quae pestes exitiumque ferunt.
Tolle reformando, quisquis sis, tolle scholarum
Fulcra, Dei cultum, tolle salubre, pium.
Sic convulsa suis schola sedibus, ima petendo,
Culmine de prisco praecipitata ruet.
Dic mihi, dic Stilpho, quae te vesania mutat?
Quod tibi debetur nomen? Es ardelio.

Ardelione caret forsan respublica docta?
Forfan, qui studiis fertile pectus alunt?
Fas erat, Aonios fontes manare, remota
Illuvie, puros, fas erat, esse sacros.
Fas erat, hos omnes, sapientis acumine mentis
Qui praestant aliis, desipuisse minus.
Musae sint castae, Musarum templa sacrata
Futilibus nugis dedecorare, nefas.
Sed quis tam puras herbas fert hortus agerque,
Vt non sit segeti mixta cremanda filix?

Aut



Aut ubi fontis erit puri tam limpida lympha,
 Quin terrae fordes particulasque trahat?
 Solque suas maculas non occultare videtur,
 Monstrat eas oculis putidulasque notas.
 Magna ita pars lati, qui doctos continet, orbis
 Ardelionatu commaculata manet.
 Vis sapiens dici? Sapientior omnibus unus
 Esse studes? Nugis cur tua vita patet?
 Vis decus Aonii coetus, vis doctus haberi?
 Cur de futilibus iurgia tanta moves?
 Cur te, quae multi didicerunt singula, cuncta
 Scire putas? Estne hoc ardelionis opus?
 Cur temere a quovis, ut arundinis umbra per ulvam,
 Te pateris vento relligionis agi?
 Cur? -- -- sed quid uerbis opus est? Cur te ipse refutas,
 Quodque doces, verum moribus esse negas?

Sit fat, ait Genius, monuisse haec ore fideli,
 Meque meae domui reddidit atque meis.
 Addit: „Ne curas alienis atque labores
 „Immisce rebus. Fac tua, tutus eris.
 „Si sapias, addiscas mandato munere fungi,
 „Et fuge, ceu pestem, τὴν πολυπραγμοσύνην.



